BENEDICTUS REGUARDATUS DE NURSIA · DE BALNEIS PUTEOLANIS · CINCIUS ROMANUS
Siena (?), 8. Jahrzehnt 15. Jh. /vor 1478 Seite 113v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8184
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



e uita migrauit. Longum esset enarrare ea que poete diuinis carminibus uaticinantes de uita querunt. Verum ut omittamus alios, de uno dumtaxat grauissimo mentionem faciemus, cuius uox est a diis immortalibus. Timidis hominibus uitam traditam esse cruciatus gratia. Neque enim omnium animantium que respirant, atque serpunt homine miserabilius. Quid autem de amphireao dices, quem Jupiter Caprifex ex animo diligit, et Appollo omni caritate prosequitur. Nec profecto ad senectutis limen accessit. Alter uero poeta jubet effundi lacrimas quando puer nascitur cum in tantam malorum molem ingrediatur. Quid tibi uidetur? Sed ab hiis desistamus, ne longius progrediamur, quam institutum erat. Qualem autem artem, siue negociationem quispiam elegerit, que non sit querelarum plena? Veniamus itaque ad opifices, siue fabros ex nocte in noctem elaborantes, uix necessaria acquirentes, qui in querelis sedulo uersantur, et omnem uigiliam ploratibus et lacrimis explent. Explicemus deinde Nautam per tot pericula gradientem, et quemadmodum Bias inquit, neque inter mortuos, neque inter uiuentes adnumerandus est.

Nauta